

*res, ab har-
monia pen-
dentes.*

cem obibat, regendi compositi prouin-
ciam adit, quodq; Physicorum proble-
ma est decantatū, ex alterius corruptio-
ne alterum generatur: ita tamen, vt vix
longo tempore subsistat. Diuersarum
enim partiū harmonia, quæ mixtionis
virtutem secuta est, ab anima regeba-
tur. Hac abscedente, parū ampliùs par-
tium consensus potest: quin eo quoq;
dilabente, singulæ constituentes partes,
suam quæque formam in medium con-
fert, qua pro re nata ad actionē sese ex-
pediat. Exemplū sit hominis cadauer:
quod cū post animæ discessum sua
mixtionis forma perdurare debuisset,
momento ferè temporis naturali disso-
lutionis impetu, in corruptionem abit,
nonnullis tamen partibus, artis mango-
nio à putredine vindicatis, & in vsum
medicum suo tempore adhibitis. Ve-
getantia post animæ discessum, diuer-
sarum partium formam, seu harmoni-
am longiùs nonnihil retinent, siq; reti-
nēt, eādē operantur. Retinere autem
ex eo cognoscitur: quoniam, licet inui-
cē non sint naturali mixtionis lege cō-
missæ partes, sed solo contiguitatis vin-
culo

*Aperta
qualitas ab
harmonia
partiū dis-
similarium
dependens.*